



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Articulus I. De Solutionibus in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

ARTICULUS I.

De Solutionibus in genere.

1914 PRIMA quæstio est, quid, & quotuplex sit *Solutio*? *Re.* ex n. 1058. *Solutionem* latè sumptam, esse quamlibet liberationem; strictè autem, esse ejus, quod in obligationem deductum est, præstationem. *Solutione*, obligationem tolli, constat ex *Instit. h. t. ibi: tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur*; textum v. n. 1058. Quæstio autem est, quid requiratur, ut solutio, ritè facta, tollat debitum? & ad hoc constat ex dict. n. 1059. Quæstio altera est, an obligatus in diem possit extinguere debitum, seu obligationem solutione anticipata? vel antequam dies veniat? *Re.* probabilius posse, nisi dies specialiter adjectus sit in favorem Creditoris; de quo v. dicta à n. 1060.

1915 Quæstio 3. est, quibus personis fieri possit solutio cum effectu, nimirum, ut censeatur Creditori facta: sed ad hoc constat à n. 1061. quæstio est 4. quale debitum censeatur extinctum in casu, quo debitor ex pluribus titulis obligatus Creditori (v. g. ex empto centum, centum ex mutuo, centum ex legato) præstat Creditori centum, non exprimens, cui debito satisfacere velit ea præstatione? *Re.* de hoc jam esse responsum à n. 1063. sicut etiam n. seq. an solutio partis rectè fiat, & liberet à debito, invito Creditore? Denum, quem effectum præster oblatio rei debitæ, vel verbalis, vel realis? de quo à n. 1065.

1916 Contra id, quod supra dictum est, posse quem solvere aliud pro alio, consentiente Creditore, videtur esse de L. 33. C. de donationibus, ubi dicitur, quod, si quis argentum donaverit, certumque pondus nominaverit, non autem alias, vel generaliter, vel specialiter expresserit, necessitatem ei imponimus omni modo præfatum pondus argenti dare, sive in vasis, sive in æstimatione; igitur etiam non consentiente, sed invito Creditore; cum etiam pro certa auri materia legata æstimatio ejus ab hærede præstari possit, ut habetur L. 35. ff. de auro, & argento: sed hoc probat solum excipi donatorem propter meritum liberalitatis, quæ meretur, & cum eo, quam aliis debitoribus, mitius agatur.

ARTICULUS II.

An Ecclesia teneatur ad solutionem debiti, ab ejus Rectore, vel Antecessore contracti?

AD utrumque colligitur responso ex *c. ad hoc 1. h. t. ubi Alex. III. Decano, & Capitulo Norvicensi scribens, sicut filius, inquit, debita Patris solvere tenetur; ita Prælati sui Prædecessoris, pro Ecclesia necessitate, contracta*; nam ex hoc textu habetur successorem teneri ad solvenda debita, quæ pro necessitate Ecclesia contractit; Solutio autem ista fieri debet ex bonis Ecclesia, in cujus necessitatem, vel utilitatem debitum contractum est; si autem excesserit limites suæ potestatis, Ecclesia ad nihil tenebitur, nisi quantum in ejus commodum pervenit, per *Auth. Hoc jus porrectum, C. de fs. Eccles.*

Cœterum, quamvis Ecclesia teneatur solvere debitum, à Prælato, vel Rectore suo contractum, juxta dicta; universitamen Ecclesiarum Prælati inhibetur, ut *c. si quorundam. 2. eod. ne Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravent debitis, aut literas alicui, seu sigilla concedant, quibus Ecclesia possent obligari; si secus fuerit attentatum, ad solutionem Ecclesias decernit non teneri; contra devotero faciens, ab administratione spiritualium, & temporalium se novit suspensum.*

Circa hæc not. similitudinem inter hæredem, & successorem in beneficio, de qua in dicto c. 1. stare in eo, quod, sicut hæres succedit in universum jus defuncti (per L. Hæreditas de petit hæred.) sic successor in beneficio in universum jus Ecclesie juxta Gloss. in c. Ad sedem, de restitut. spoliati consequenter comparisonem inter eos fieri, quoad onera sustinenda per prædecessorem facta cum aliquo tamen discrimine; nam hæres acquirit jus à defuncto, & tenetur ad onera undecunque à defuncto contracta; Successor autem in beneficio accipit jus ab institutione, & tenetur solvi ad debita contracta pro Ecclesia necessitate.

Not. 2. inter debita pro Ecclesia necessitate, vel utilitate contracta, numerari etiam debita contracta pro necessaria, ac docente sustentatione personæ sui antecessoris, sic Abbas in cit. c. 1. n. 2. addens Successorem teneri solvere etiam debita, quæ antecessor contractit in infirmitate;